

Sanguinem nulla prorsus est speranda peccatorum remissio, nulla salus. Act IV, 12. Quisquis igitur immundus spreta hac lustrali aqua conspergi nolebat, is sine ulla exceptione eradicationis erat reus, Num. XIX, 13, 20. Ita et omnis, qui spreto Christi Sanguine non *crediderit in Filium, is vitam non videbit, sed ira DEI manet super illum* Ioh. III, 36.

### §. XII.

Proinde in h. l. mens Apostoli est, meritum Servatoris et in primis Sanguinem Christi fide apprehensum tollere, abluere, removere, delere nostra peccata, ut nec in conspectum DEI posthac venire, nec ullas peccatorum poenas dudum promeritas nobis contrahere possint; Hic enim Sanguis nos iustificat Rom. V, 9. iam vero nostra coram DEO iustificatio in Scripturis tot splendida, insignia iuxta et neruosa sortitur cognomenta, ut animus noster ea satis demirari non possit, dum non solum per Sanguinem Christi DEUS pollicetur *peccatorum remissionem* Exod. XXXIV, 7. 2 Paralip. VII, 14. Psal. CIII, 3. Es. XXXIII, 24. Act. X, 43. Ier. XXXVI, 3. Mich. VII, 18. Syr. II, 13. Matth. XII, 31. C. XXVI, 28. Marc. I, 4. Luc. XXIV, 47. Act. V, 31. 1 Ioh. II, 12. quae est integra Servatoris redemptio Eph. I, 7. Col. I, 14. et qua stante stat, cadente cadit salus ipsa. Luc. I, 77. non solum promittitur *peccatorum oblectio* Ps. XXXII, 1. seu *peccatorum non imputatio* 2. Rom. IV, 8. 2. Cor. V, 19. vel *expiatio* Exod. XXXII, 30. Es. VI, 7. Dan. IX, 24. Sed et *peccati ablatio*. 2 Sam. XII, 13. Es. VI, 7. C. XXVII, 9. Zach. III, 4. 9. Rom. XI, 27. 1 Ioh. III, 5. Heb. IX, 28. *liberatio a peccatis* Psalm. CXXX, 8. *defectionum deletio*. Es. XXXXIII, 25. C. XXXXIV, 22. Act. III, 19. Ps. LI, 3. II. et *non-recordatio*. Ier. XXXI, 34. Ezech. XVIII, 22. C. XXXIII, 16. Heb. X, 17. *peccati obsignatio* Dan. IX, 24. *Iustificatio a peccatis* Rom. VI, 7. *condonatio delictorum* Col. II, 13. et *sublatio* Heb. IX, 26. Imo, quod singulos in admirationem rapit, peccatorum subactio et in profundum maris abiectio Mich. VII, 19.

### §. XIII.